

39. 14
1733 8

ORDINIS JCTORVM

IN

ACADEMIA VITTEMBERGENSI

PRO - DECANVS


JO.GODOFREDVS
KRAVS, D

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI P.P.CVRIAЕ PROVIN.
IALIS, SCABINATVS ET FACVLTATIS JVRIDICAE
VITTEMBERGENS. JVDICII ITIDEM PROVINCIA-
LIS IN INFERIORI LVSATIA ASSESSOR

LECTORI

S. P. D.

CHIUNIS-ICGOTRI
N
V
T
O - ICHONIAS
O.GODOSRREDAS
H
R
A
U
C
I
P
R
E
G
O
R



Anceps est, & nimis intricata quæstio, num usum capio pariter ac præscriptio in Jure naturæ sit fundata, arque adeo inter liberas gentes locum habeat, ut Principi, humanam legem non agnoscendi, opponi queat? Qui usum præscriptionis ac usurcationis ad ultima rerum creatarum origine repetere solent, monent, postquam a communi rerum usu si recessum, tacitoque gentium consensu dominia rerum sint erecta ac stabilita, gentibus simul, ne quid inde detrimenti caperet societas humana, prospiciendum fuisset, quia dominia rerum pacis custodienda & tranquillitatis colenda gratia essent introducta, quæ, si dubia & in promiscua rerum communicatione incerta manassent, nihil generi humano reliquum fuisset, quam uberrimus bellorum somes, insigniumque causa mortali&ta& miferiarum provenitus, id quod FRANCICUS BALDVINVS in Præfat. ad Tit. de Usurpat. & usurcap.

pluribus sequentem in modum deducere conatur: Nec
fane, inquit, constare humana bis turbis possunt commer-
cia, quis cum alio vellet contrahere? quis ab alio emere?
si nullius rei esset possessio secura. Quomodo publicam tran-
quillitatem tuebimur, injuriasque arcebimus, si perpetuo
liberum sit, rem per multorum jam manus pervagatam
windicare pretextu alicujus prisci exoletique juris? quam
graves & infinitae turbe excitarentur, si tot essent rescin-
dendi Contractus, tot successiones exinanienda, tot posse-
sores expellendi? Adjiciunt illius opinioneis propugnato-
res, eum, qui in sua jura per longum tempus nec in-
quisierit, nec ullo modo prosecutus sit, hæc derel-
uisse atque ipso facto in eorundem alienationem con-
fensisse videri, vix enim, monente PAVLO in L. 28. pr.
ff. de Verb. signific. est, ut non videatur alienare, qui pa-
titur usucapi. Tum provocant ad interesse Reipubli-
cæ, quod exigit, ut certa sint rerum dominia, quo tri-
buta eo melius ac facilius exigi possint; Licet enim
fiscus sequatur possessorem, ita ut circa usucaptionem
tributa fisco integra manere videantur, monente ea-
men B BEYERO in delineatione Juris civilis & quidem
ad Institutiones Tit. de Usucaption. Post. XII. lit. f. is, qui
domini si certus non est, & semper evictionem me-
tuit, impensis in rem necessariis & utilibus fere par-
cere, eoque rei interitum accelerare, nec facile emto-
rem reperire soleat; sèpius quoque evenire, ut deserta
jaceant prædia tributis obnoxia & Fiscus per indirectum
periclitetur. Addunt deinde summam æquiratem præ-
scriptionis jura suadere. cum ei, qui re sua diutissime
caruit, eadem porro carere eodemque modo, quo huc
dum vixit, & imposterum vivere neutiquam difficile
esse possit, quum contra is, qui rem tenuit, hanc sine
gravis-

gravissimo incommodo animique cruciatu' perdere ne-
queat, quia, ut quis pauperior factus priorem vivendi
rationem mutet, durissimum. Vrgent denique varia
exempla, quibus præscriptionem jure Gentium intro-
ductam receptamque esse, probare contendunt. Pro-
vocant hinc ad exemplum JEPHTÆ, populique he-
brei, qui in lite, cum Ammonitis agitata JVDICVM
XI. ver. 20. præscriptionem obvertunt. E recentiori-
bus VENETOS instar exempli producunt, afferentes,
inter omnes constare, Adriaticum pelagus in ditione
esse Venetorum, eosque per illud imperii jura exerce-
re, ita, ut alius navigationem usumque ejus interdice-
re queant. VASQVIS illuſtr. controversial. C. 89. n. 16. si
quaratur, qua ex ratione, quave ex causa hoc jus illis
competat, eam e longinquo non arcessendam, sed in
promptu esse respondent, tituloque præscriptionis jus ac
jurisdictionem in mare Adriaticum Venetis competere
dicunt, MARTA de jurisdict. Part. I. Cap. 33. n. 25. cum
enim ceteræ gentes imperii exercitum in mare Adria-
ticum solis Venetis per tot seculorum decursus permi-
tissent, dubitant, fore quenquam, qui eorum invente-
ratam possessionem turbare velit aut possit. Tandem pro
confirmando sua sententia adducunt, quod cum
aliquando Pontifex romanus ALEXANDER VI. per
jocum ex Legato Venetorum quæsiverit, quibus tan-
dem titulis VENETI possessionem maris Adriatici tue-
rentur? & Legatus subiranea licet, ingeniosa tamen,
responsione sequentem in modum satisficerit: Oſenda-
mibi Sanctitas Vesta instrumentum donationis a Constanti-
tino facta, apparet ex ejus opibigraphi pagina adverſa
Venetorum privilegium atque jus in mare Adriaticum
LANSIVS in Orat. contra Ital. p. m. 840. per quæ verb.

Legatum nihil aliud voluisse, credunt, quam ad idem
provocare argumentum, quo Pontifex suum tueretur
Patronum, ad possessionis scilicet ac præscriptionis
privilegium. At enim vero contrariam sententiam,
quam & VASQVIS Part. i. Contr. Lib. II. Cap. 51. defen-
dit, pace tamen aliorum, veriorem, atque adeo præ-
scriptionem ac usucacionem ad mera Juris civilis sanc-
ta referendam, nec in Jure Naturæ aut Gentium, in-
primis, quod attinet Reges ac populos liberos, supe-
riorum non agnoscentes, satis fundatam esse, vel ex-
inde judico, quod forma usucacionis ac præscriptionis
non in nuda ac simplici possessione consistit, sed ad
suam essentiam lapsum certi temporis requirit; monen-
te vero GROTIO in Tractatu de jure belli & pacis Lib. II.
Cap. IV. §. 1. tempus ex suape natura vim nullam effe-
ctricem habet, cum nihil sit a tempore, quanquam
nihil non sit in tempore. Accedit, quod nec ex Jure
Naturæ certum temporis sparium ad adimplendam
usucacionem ac præscriptionem sufficiens definiri possit.
Hoc vero si non est, quis, quæso, inter Reges ac po-
pulos liberos, nullum superiorum præter Deum agno-
scentes, id in vim legis determinabit. Nec est, quod
provocetur ad tacitam gentium approbationem vel con-
fuetudinem; namque ea approbatio & consuetudo fa-
cti sunt, & probatio indigent, deinde hoc eorum minus
fieri posse censeo, cum unius alteriusve gentis consen-
sus vel approbatio minime sufficiat, sed, ut intuitu
omnium rite probetur, necesse sit; At enim vero mo-
nente B. BEYERO in delineat. Jur. divin. naturalis & po-
litici universi Cap. IX. Pos. 69. omnes gentes nondum sunt
notæ. Fac etiam, quod fortassis pleraque ac moratio-
res gentes præscriptiones & usucaciones per certum ali-
quod

quod temporis spatiū adimpletas agnoverint; an ex-
inde sequitur, quod & impostorū hoc observari, &
a reliquis gentibus in vim juris attendi debeat? Quis
enim, pergit B. BEYERVS. *l. Ref. 67.* diceret, Germā-
nos obligari, ut in vestitu Gallos perpetuo imiteatur,
quia hos aliquamdiu imitati sunt. Multo vero minus
reliquæ gentes ex aliorum factis obligari, & ad idem,
in vim juris observandum, cogi possunt, tum quod par-
in parem nullum habeat imperium, tum quod mora-
litati repugnet, si quis prætendere vellet, ut alter ipsum,
potissimum in indifferentibus, imitetur. His ira pos-
itis facile ad rationes supra adductas responderi potest.
Tantum enim abest, ut, remota usucapione ac præ-
scriptione, nihil, nisi uberrimus bellorum formes, in-
signiumque calamitatum & miseriarum proventus ge-
neri humano immineant, ut potius propter suminam
temporis incertitudinem, jam jam adductam, magis
magisque promoveantur. Quid impedit, quo minus
ejusmodi litibus act per transactiones occurratur, aut
parte adversa repugnante, alter in sua possessione re-
linquatur, donec contradicens melius fortiusque jus
deduxerit, quæ remedia æquitati naturali magis con-
venire videntur, quam, ut alteri jus suum in perpetu-
um detrahatur ac retineatur; potissimum cum juri na-
turæ quam maxime conveniar, ut cuilibet jus suum il-
libatum sit, perpetuoque servetur. Ad hoc accedit,
non omne, quod bello occasionem præbere potest,
omittendum esse, propterea, quod bellum inter istos,
qui in his terris nullum superiore agnoscunt, pro-
medio illicito minime sit habendum. Multo deinde mi-
nus fundimentum usucaptionis ac præscriptionis in de-
relictione præsumta, quam colligunt ex silentio longi-
tem.

temporis, collocare licet. Neque enim semper silentium pro vituperanda negligentia est habendum, cum prudenter tacere haud raro melius sit, quam intempestive loqui, in primis, si quis facile prævidet, interpellationem in præsenti sine effectu fore, alio vero tempore commodiorem occasionem existere posse; ad minimum, ne jure quidem civili, iste, qui racet, semper consentire videtur, sed, ut ad loquendum vel respondendum obligatus sit, prærequiritur. Remoto vero sic consensu præsumto, cessat quoque facta atque imaginaria derelictio, quippe quæ consensum intervenientem præsupponit. Accedit, quod natura derelictionis in eo posita, ut res derelicta statim fiat nullius, cedatque occupanti; quid itaque opus est usucapione vel præscriptione? quippe quæ non simplici occupatione ac possessione perficiuntur, sed lapsum certi temporis requirunt. Nec moveor, si, animum derelinquendi non statim tempore occupationis adesse, sed ex lapis temporis præsumi, obvertitur. Vbi enim, quæso, iure naturæ certum tempus, ex quo ejusmodi consensus præsumatur, definitum est? hoc itaque deficiente, quis inter eos, qui nullum superiorem in his terris præter Deum agnoscunt, tempus certum ad instar regulæ observandum, determinabit? Corruunt etiam ex his, quæ de publico interesse, & ne rerum dominia sint incerta, adducuntur. Hæc enim, licet usucaptionis ac præscriptionis inter subditos introducendæ causam præbere legislatori humano potuerint; tantum ramen abest, ut necessarias introducendæ usucaptionis ac præscriptionis inter liberas gentes Regesque inde demonstretur, ut potius ob incertitudinem temporis, quod ad præscriptiones requiritur, majora mala & pericula.

Rei-

Reipublicæ exinde nasci videantur, quibus tamen omnibus, aliis deinde, uti jam deductum, remedii occurri potest, minimum ex eo principio non fluit, me adversario relinquere teneri, quod is ex bonis meis injuste detinet, ut potius hic, ipsa æquitate suadente, ad id restituendum obstrictus sit. Multo vero minus ad infrouducendam usucaptionem ac præscriptionem sufficit, quod is, qui re sua diutissime caruit, hac & impostorum facilitiori modo carere possit, quam alter, qui rem huc usque tenuit, & qui cum incommodo antiquas vivendi rationes mutare debet. Namque a posse ad esse nulla valet consequentia, nec alter cum meo danno, locupletior fieri debet. Denique nec exempla allegata sufficienter probant, tum, quod facta tertii tertio non præjudicant, tum, quod exempla regulam aliis non præscribunt, sed ex principiis juris de iis judicandum. Ne vero longior sim, quarn & temporis ratio & pagina patitur, finem facio sermonis, cuius occasionem sumpeditavit Nobilissimus atque Clarissimus Candidatus noster Dn. CAROLVS DAVID LOSSIVS Jutterboga Querfurtensis. Hic exantlatis omnium applausu periculis, quæ subeunda ab iis, qui summos in utroque Jure honores capessere cupiunt, jam in eo est, ut ultimum, idque publicum, edat specimen, atque futuro die Jovis Dissertationem de *Præscriptione immemoriali*, bominum licet memoria deficiente per documenta clidenda proprio Marte conscriptam sub Præsidio Viri Magnifici, Consultissimi atque Excellentissimi Dn. GODOFREDI LVDOVICI MENCKEN Jcti celeberrimi, Potentiss. Polon. Regis atque Elect. Sax. in Summo Provocationum Senatu Confiliarii splendidissimi, in hac Academia P. P.

Facult. Juridicæ Curiæ, Provincialis, Scabinatus, Se-
natus Ecclesiastici & Judicij Provincialis Lusat. inferio-
ris Assessoris longe meritissimi, eruditorum disquisi-
tioni expositam defendat. Vitæ rationes, eruditionis-
que acquisitæ vias, quas securus est, pluribus ut refe-
ram, necesse non est, cum ipse fata sua & breviter &
eleganter sequentem depinxit in modum:

CAROLVS DAVID LOSSIVS natus sum Jutrebogæ
in Ducatu Querfurtensi Ao. post. Christ. nat. MDCCX.
d. XXI. Decembr. Patrem habeo GEORGIVM CARO-
LVM LOSSIVM, Syndicum Circuli Jutrebogensis & urbis
Jutrebogæ, hujusque Civitatis Consulem, a matre vero edi-
tus ANNA ELISABETHA. e gente KLOSLA, jam pie de-
functa. Ab his Parentibus optimis a primis statim incuna-
bulis studiis dicatus, traditus sum Dno. WAHN, jam Pastori
pagi Langenliepsdorff, atque ab illo, nec non ab optimo Pa-
tre in linguis fidelissime institutus, cum iste ad officium, quo
nunc summa cum laude fungitur, vocaretur, Ao. MDCCXXII.
Gymnasium, quod in patria floret frequentare coepi, ibique
Præceptoribus de me optime meritis usus sum, Rectore hu-
ijs Gymnali Dno. M. FINGERO & Con-Rectore Dn. M.
SCHARNOVIO atque his Ducibus tam ulteriores in hu-
manioribus feci progressus, quam prima in Philosophicis, Ge-
ographicis & Historicis, fundamenta posui. Laudato vero
Rectore Dn. M. FINGERO ad munus Archi Diaconi ad Ae-
des S. Nicolai ibidem promoto Ao. MDCCXXVI. Gymna-
sio una valedixi, atque, cum ob teneros adhuc annos per ali-
quod temporis domi haeretem, ab Hoc, qui me immer-
tem propensius amat, in Historicis & Philosophicis per an-
num instructus sum. Interim cum Parens optimus, cui fa-
luis mea semper cordi fuit, quique hac de causa a prima ado-
lescentia assiduum Præceptorem egit, absque omni juris præ-
gustu Academias me adire noller, Institutiones Justinianæas
multo labore multaque fidelitate explicitu. Sic ad vitam
academ.

academicam præparatus, Vitebergam almati studiorum matrem tetendi atque RECTORE MAGNIFICO Dno. D. SCHROEERO Ao. MDCCXXVII. militiae togatae nomen meum dedi, Collegisque Viri Per-Illustris Dni Lib. Baronis de WERNHER, tunc temporis Ordinarii Facultatis Juridicæ, jam vero S. R. Imperio a Consiliis aulicis interest mihi licuit. Ea etiam non ultima felicitatis meæ pars mihi evenit, ut Viros Illustres Magnificos atque Excellentissimos, qui adhuc hic loci florent, LEYSEROS, BASTINELLEROS, MENCKENIOS, KRAVSIOS & WERNHEROS audire, nec non a CONRADIIS & STENGERIS, quorum alter Helmstadii, alter Jenæ multa cum laude degit, in Jurisprudentia institui mihi contigerit. Cum vero Philosophiam omittendam non esse, facile cognoscerem, a celeberrimis BERGERIS, WEIDLERIS & HOLLMANNIS hanc addiscendi cupido, his Viris gravissimis Ducibus frui humanissime ab illis mihi permisum fuit. Quo tandem virium periculum facerem, concessere Viri Illustres, Magnifici atque Excellentissimi Dnus. D. LEYSERVS, Potentissimo Poloniarum Regi & Electori Saxonie a Consiliis aulæ & iustitiae & Dnus. D. MENCKENIVS, Eadem Regi ac Principi a Consiliis Appellationum, quo sub Illorum Præsidio Specimen aliquod ederem. Differui itaque prima quidem vice Præside Dno. D. MENCKENIO de Crimine Barattariae s. Repetundarum, & altera vice, Præside Dno. D. LEYSERO, de Injusta in fures Indulgencia, atque finito quadriennio in hac alma Vitembergensi hinc discedens *Lipsum* petii, ibique RIVINOS audiens per annum & quod excurrit versatus, examen pro Praxi, quod vocant, sustinui, Leucopetramque, ad videndum, quæ in foro occurunt, abii, ibique penes Advacatum hujus urbis celeberrimum Dnum. D. SEMLERVM, quæ ad vitam practicam pertinent, lustrare licuit. Hinc ante aliquot menses redux atque a Celeberrima Facultate Juridica Vitembergensi admissionem ad Examina pro capessendis summis in utroque Jure honoribus, submisæ petens, voti mei

com-

1820.

corpos factus sum. Nihil itaque restat, quam quo a Viris
Illustribus, Magnificis ac Excellentissimis benignum de mea
renuntiae judicium Eorumque sempiternum Patrocinium hu-
miliis flagitem, Illisque pro tot in me collatis beneficiis, pre-
tantoque Patrocinio immortalem memoriam devote spon-
deam, promittam.

Hæc ille. Nihil itaque restat, quam ut illustrissi-
mos ac perillustres Comites, Barones, Patres Aca-
demia, ejusdemque Fautores ac amicos atplissimos
cum generosissimis, nobilissimis ac ornatissimis civibus
ad hunc solennem actum disputatorium futuro die Jovis
habendum, ea qua par est observantia ac cultu invi-
tem. Quemadmodum autem non dubito, quin sua ho-
norifica præsentia hunc solennem conflictum illustrio-
rem sint reddituri; ita & me & totum meum Ordinem
ad quælibet officiorum genera promissimos paratiſſi-
mosque spondeo. P. P. Vittembergæ Dominiça

XXII. post Festum Trinitat.

M DCC XXXIII.

VITEBERGAE
EX OFFICINA SCHILOMACHIANA.

AGITTENBERG, Diss., 1733

ULB Halle
002 408 449

3



Sb 906

W. H. g. Starkloff + f

